PETRUS COMESTOR. PS.-DIONYSIUS AREOPAGITA

Kaufbeuren, 1457 Seite 68r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284

Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

plenius habetur qui posuit id est collocavit se in lecto. Addidit etiam aptam de Saule prophetiam dicens: Tolletur propter Agag rex eius et auferetur regnum illius. quod factum est Sauli quia pepercit Agag regi amalechitarum et post direxit verba ad populum: Qui benedixerit tibi erit et ipse benedictus, et qui maledixerit in maledictione reputabitur. Cumque irasceretur Balac dixit Balaam quod in discessu suo daret ei consilium quid faceret adversus populum hunc. Iterumque assumpta parabola ait: Orietur stella ex Iacob et consurget virga id est Maria ex Israel et pariet florem virga duces Moab et vastabit omnes filios Seth. quasi diceret vastabit omne genus humanum quod scilicet carnale est in bonis converteret et malos perdet. (No.) De Seth enim totum genus humanum est de quo fuit Noe. filii enim Cham in diluvio perierunt. Secundum hoc vaticinium dicitur magos venisse in Iudeam visa stella et tunc extitisse apud eos scripta Balaam super hac re. Prophetavit etiam quod Israel Ydumeos et Amalech qui fuit principium gentium pugnacium contra eos subiaceret sibi. (subiceret) Prophetavit etiam quod terra sua Assirii vastaret. etiam Cineos qui erat de fortissimo genere scilicet de Iethro. Addiditque: Venient in trieribus de Italia et superabunt Assirios vastabuntque Hebreos et ad extremum ipsi peribunt. Monarchiam predixit hic Romanorum et in fine temporum destructionem eorundem. Dicit Iosephus eum prophetasse adhuc totum orbem futurum eorum habitaculum in eternum etiam insulas. Et cum plures prophetie sit impleta reliquum pro certo implendum est.

De amore mulierum iniciatus beelphegor in Israel

Surrexitque Balaam ut rediret in locum suum. Cumque in finibus Madian valediceret Balac et suis consilium dedit eis ut virgines quarum speciei castitas illudi potuisset circa tentoria Israel cum exeniis venalibus mitteret que iuvenes ad se declinantes in tantum allicere sibi laborarent ut eos transgredi leges patrias facerent et deos colerent alienos ut sic deo suo eis irato vel ad modicum tempus humiliaret. Deo enim eis propitio nec bella nec pestis aliqua eos corripiet. Feceruntque ita Madianite tantum et de Moabitis virgines misse sunt sed pauce quia nativitate sunt deformes. Eo tempore morabatur Israel in Sethim et fornicatus est cum filiabus Moab que vocaverunt eos ad sacrificia sua et comederunt ydolatica sua et adoraverunt deos earum et iniciatus est id est consecratus est Israel beelphegor ydolo Madianitarum ydolo scilicet tentiginis quem Grecia Priapum dixit. Iratusque Dominus dixit ad Moysen: Tolle cunctos principes (+ populi tui) et suspende eos contra solem in patibulis ut avertatur furor meus ab Israel. Forte quia subditos non corripiebat duces tribuum voluit suspendi vel potius principes id est auctores huius ydolatrie. Unde et statim subdit: Dixit Moyses ad iudices Israel: Occidat unusquisque scilicet proximos suos qui iniciati sunt beelphegor.

De zelo phinees

Tradit Iosephus quod princeps in tribu Symeon Zamri filiam cuiusdam potentis Madianitarum duxerat que dicebatur Corbi. Qui uxore iubente in quadam solempnitate cum aliis ducibus deo non ymolavit. Quam ob rem cum Moyses ecclesiam congregasset et eos increparet non nominatim tamen quia turba erat in causa ille coram omnibus professus est se alienigenam duxisse ydola colere nec tirannicis legibus quas ipse sibi Moyses posuerat obnoxium esse quibus sub figmento legum et dei graviori servitute populum premebat quam Egiptii cum proprium auferebat vivendi arbitrium. Et discedens coram omni turba que flebat ante fores tabernaculi intravit tabernaculum uxoris. Mirabantur autem omnes quod mortuus non fuisset. Surgensque Finees filius Eleazari de medio multitudinis et arrepto pugione ingressus est post illum in lupanar et cum invenisset eo-